

A B I T V I, E T R E D I T V I,  
F E L I C I B V S,

E P O L O N I A, I N G E R M A N I A M & L I V O N I A M,  
S. S A N C T I P O L O N O R V M L E G A T I, V E R E N O B I L I S A C D I-

*serti viri, D. DAVIDIS HILCHEN, Regia civitatis Rigenfis,  
Patriæ suæ, Syndici clarissimi,*

E V P H E M I A N,

**Q**uid magis optandum, quàm si præclara vigerent  
Secula, quæ priscis sunt adamata viris.  
Grata fuere viris, sua quod tunc vivida virtus  
Ipsi promerito, præmia iusta daret.  
Quippe triumphus erat, si quis robustus ab ense,  
Fortiter à patrio, verteret arma, solo.  
Sic Fabij, Crassus, sic Quintius, atq; Camillus  
Ob res præclaras semper & vsquè vigent.  
Et legis lator præstantem lege vetabat  
Ipse virum densis nubibus occuliet.  
Nec minor est virtus valido munimine vocis  
Moenia quæ patriæ condecorare studet.  
Est hoc præclarum, dubium nec forte subintrat?  
Illud sed præceps alea Martis habet.  
Præstitit hoc patriæ sapienti voce Lycurgus,  
Qua normæ ciues mentis adesse iubet.  
Quid magni referam Demosthenis ora? Periculis  
Fulmina quid? Patriæ natus uterq; fuit.  
Sic pius Hylchenius, nutricis ad vbera suadæ  
Eductus, patriam voce fideq; iuvat.  
Vir grauis eloquio, cui dia repagula legum,  
Cui Themidis sacræ templa adaperta patent.  
Hic sua legatus, Divis, bonus ora Sacratiss  
In caula ancipiti rite probata dedit.  
O magnum facinus: memorabilis, ardua res hæc  
Plena laboris erat, plena decoris erit.  
Cernere sic ergo est. quid virtus possit ubique  
Cum facit ornatis verba diserta modis  
Præmia nunc desunt (pudor heu) virtutis amænæ  
Valle sub obscura præmia prisca latent.  
Sed tibi adest virtus viuax, Heliconis alumne,  
Quæ tua nec tenebris voluere fata sinet.

Salve magnanimùm Procerum, Regniq; Decorū  
NON TIBI SED PATRIÆ viuere, vita tua est.  
Atria nunc iuris, nec non sacer Ordo Senatus  
Foelices Diuos, in tua vota vocant?  
Teq; salutiferâ reducem cum voce salutant:  
Gratatur cœptis civica turba tuis.  
Hoc quoq; quod merito celebratur in Vrbe Lyceū  
Carmine adest dulci iubila voce canens.  
Gaude R I G A, tuum Columen tua tecta revisit,  
Patria iamq; tuus mœnia N E S T O R habet.  
Publica vah quoties sonuerunt atria voce,  
Communis vindex quando salutis erat.  
Publica dehinc quoties resonabunt atria voce,  
Communis vindex quando salutis erit.  
Vidi ego quam claros agites bona R I G A trium-  
Nobilior quoties gratus & hospes adest. (phos  
Fas igitur civi merito bene quo mage multo  
Publicus H I L C H E N I O contribuatur honos.  
A E n e a grande tonent tormenta, & ferrea longè  
Pondera, sulphureis ignibus, acta volent.  
Inde Magistratus bona, fac, pars, accipe eundem,  
Acceptumq; suæ limine siste domus.  
Munera mitte virum ciuemq; decentia talem,  
Et quacunque potes parte iuuare iuua.  
Sed satis est: mecum sincero corde preceris,  
Tempora quo vitæ sint diuturna viri.

Deuotè dicit

*Paulus Spandko. A. A. & S. S.  
L. L. Studi: Notarius. P. Judi-  
cijque Rigenfis. procurator.*

R I G A E,

*Apud Nicolaum Mollinum,*

Anno 1596.